Medicin.

R
2855

D $\frac{7.}{3}$ 22

R V 9. 46 ad.



ANATOMIAE, HOC EST, CORPORIS humani dissectionis pars prior, in qua singula quæ ad Caput spectant recensentur membra, atq; singulæ partes, singulis suis ad uiuum commodissimè expressis figuris, deliniantur. Omnia recens nata.

PER IO. DRYANDRVM
Medicum & Mathematicum.

ITEM

Anatomia { Porci, ex traditione Cophonis.
Infantis, ex Gabriele de Zerbis.

Marpurgi apud Eucharium Cervicornum,
Anno 1537 mense Junio.

Acc. 42, 300.
BIBLIOT

PETROPOLITANÆ EX BIBLIOTHECA ACADEMIÆ MEDICO CHIR.

4-V A
15040
i 52328521

RECTOR ACADEMIAE MARPVRGENsis, rerum Medicarum studioso. S. D. P.

CLemẽtissimus illustrissimusq́ Hessiæ Princeps Philippus, quo est incredibili in Academiã suam Marpurgeñ affectus amore, præter reliqua felicitatis bona, quibus indies hanc nouam suam scholam exornat, hoc nuper ultrò adiecit, autoritateq́ regia interposita, ratum esse uoluit, ut quotannis posthac, in medicæ professionis usum, receptis ad hanc rem è carcere uel cruce perditorũ corporibus, publicè semel aut bis, Anatomia exhibeatur. Qua autoritate fretus, superiori anno binas Anatomias alteram Calendis Iunij, Anno XXXV. alterã Martij Calen. Anni XXXVI. ut est in hoc genere studiorũ, nõ mediocriter exercitatus Ioannes Dryander, Medicinæ apud nos professor ordinarius, non infeliciter hic publicè celebrauit. Idemq́ in posterum maiori cum diligentia, tum accurata magis demonstratione, sese facturum pollicetur, modo sint, quibus hoc suum studium, atq́ artis medicinæ non contemnendus fructus, quòquo modo probari queat. Idq́ studiose lector, tibi, ob id maximè indicãdum putaui, ut aliquando medicæ rei, hunc amplissimum fructum cõmunem nobiscum habere queas, quod hactenus, maiori an dicam Medicorum dedecore, an periculosiori, etiam ægrotantium malo Germania reiecerit nescio. Anatomiæ syncerum studium, nos honoratiori loco apud nos recipiendum, adeoq́ pristino suo nitori restituendum, duximus. Hinc est, quod à Dryandro, Anatomiæ Capitis humani, icones quas inter dissecandum nuper per picturæ lineamenta ad uiuum, rectissimè exceperat, in studiosorũ usum ut diuulgaret, impetrauimus. Quas si placere uiderimus dabimus operam, ut uniuersi corporis humani, singulæ partes, singulis suis picturis, quàm re-

ctissimè à Dryandro expressæ, in lucem tandem prodeant. Interim tam picturis, quàm figuris Anatomicis, humanum Caput optimè exprimentibus, adeoq; nostra opera & beneuolentia liberalius fruere, atq; Vale felix.
Datæ Marpurgi &c.

CLARISSIMO ORNATISSIMOQVE uiro illustriss. Hessiæ Principis Cancellario D. Ioanni Ficino, Domino atq; patrono suo obseruantissimo. S.D.P.

FAcit illa tua in prouehēdis bonarum literarum studijs, nunquam laudata satis liberalitas Cancellarie, ornatissime, ut agminatim te docti suspiciant, colant atq; uenerentur, quasiq; deo tutelari tibi supplicent. Suos proinde literarum fœtus, si quos produxerint, tibi educandos, tibi prouehendos, non inuiti committant. Eadem ego ratione ductus, quæ, inter dissecandum nuper in humani Capitis Anatomiam ad uiuum typis atque figuris exceperam, tibi ob id maximè nuncupanda putaui, quò te protectore, nostra liberius prodire queāt. Boni itaq; hūc nostrum qualemcunq; laborem consule, atq; uale rectissimè.
Marpurgi.

H. T. Deditissimus.
Io. Dryander Medicus.

AD LECTOREM CANDIDVM
Reinhardus Hadamarius.

SOla figurarum quia perfectissima, complet
Vndiq; se numeris orbiculata suis.
Ergo Creatoris uoluit diuina potestas,
Vt nostri capitis forma rotunda foret.
Vt globus est igitur, quod continet omnia cælum:
Sphærula sic caput est, dogma quod omne capit.
Ardua sunt illic summi palatia regis:
Hic sedem ratio pars deitatis habet.
Non potes ætheream rimari terreus aulam:
Illius effigiem sed penetrare caput.
Alta nimis fugiunt humanam cælica mentem,
At simili possunt re magis illa capi.
Si gestis ergo regnum spectabile, miri
Et lustrare cupis nobile plasma fabri.
Sume librum clari, radio pollente Dryandri
Descriptum, studijs profit ut ille bonis.
Intima cælestis dominæ penetralia cernes,
Et reliquam, leges cui dedit illa, domum.



IN PRAELECTIO-
NEM MEDICAM ORATIO,

qua Anatomiæ neceſſarium ſtudium commenda-
tur, Marpurgi à Ioan. Dryandro in frequen-
tiſſimo eius Academiæ conſeſſu habita.

VIII kalend. Nouemb.

ANNO

M. D. XXXVI.

IMpudens, perfrictæq; frontis eſſem homo, ſi in tã celebri, tot doctiſſimorum uirorum, conſeſſu, hodie uerba facturus, nonplanè dicendi uiribus deſtituerer. Idq; maxime, dum mecũ reputo, quàm abſolutæ eruditionis uiros, exquiſitiq; iudicij cenſores me in hoc fungendi medicæ profeſſionis munere, præceſſerunt.

Nuper enim cum Academia hæc noſtra bonis uti ſpero auibus, inſtitui cœpit optimè ab optimo illuſtriſſimoq; huius patriæ Principe, curatũ eſt, ut hucuiri eximij atq; eruditi, q, non tam literarum, quàm morum, & autoritatis commendatione, huic ſcholæ prodeſſe poſſint accerſerentur.

Vidimus itaq;, non infelicem tanti conatus ſucceſſum. Ex multis, quos hæc noſtra ſchola egregiè doctos aluit, paucos, eoſdemq; corun-

dem mecum ſtudiorum medicinæ uidelicet ſtudioſos obiter ut hic referam non ſit moleſtum.

Adfuit ab initio, medicæ profeſſioni, non incommodè deſti natus. Euricius Cordus, is ut noſtis fuit præter artis poëticæ, præclaram eruditionem, in herbaria etiam, ut reliquam medicinæ partem præteream, miro iudicio præditus.

Succeſſit Cordo, medicarum rerum, non inferior cognitione, Ioannes Megobachus, eius uiri quanta in profitendo fuerit felicitas, multos ueſtrũ, nõ ſine fructu, pcepiſſe puto, tã inſignes itaq; eruditione uiros me cũ nup præceſſiſſe iterq; mihi ineũdum, commonſtraſſe cũ uideam, pauore penitus contremiſco horreoq;, maximẽ q̃ tenuis & curta ſuppellex eruditionis mihi ſit, cum hiſce uiris ſi conferar exploratum habeo.

Si itaq;, ea quam uos mihi falſò, ſed amiciſſimo tamẽ in me affectu errantes adeſſe putatis, ſit eruditio, felicem me omniũ putarem, qui tãto honore, primũ ab illuſtriſſimo patriæ Principe, de hinc, à ueſtro omnium candore, ad hoc, Medicæ prælectionis officiũ, dignus exiſtimatus ſim, qui huc conuocarer.

Verum, quæ eſt humanitas ueſtra, qui eſt animorum ueſtrorum candor, apud uos, de me, excuſationis loco, recipi ſpero, quod dici ſolet ἀρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις τὸ καὶ θέλημα μόνον. Nos latine ſic: In magnis, uel uoluiſſe ſat eſt.

Idq; ſaltem à uobis ſi impetrare queo, huius ſcholæ, ſcilicet commoda, me omnibus modis promouere conari, id, perſuadere in præſentiarum ſi poſſum, hodie, me ſatis declamandi officio, functũ eſſe putabo. Ad eaq;, quæ hic pauliſper explicare conſtitui, de recto, ſcilicet, atq; commodo Medica aſſequendi compendio, atq; obiter de Anatomiæ uero & neceſſario uſu, uerba facturus accingor. Quæ dũ ego rudius & pingui quod dici ſolet Minerua abſoluere ſtudeo, patienter me queſo, dicturum, feratis.

Eſt ſingularum artium, certa aſſequendi præpoſita methodus, quam ni adhibeas, nihil rectum, nihil ordine percipies unquam. Qua docendi diſcendiq; methodo, etſi nuſquam non alibi, certe in re medica, omniũ maxime opus habemus. Tot em̃ ſunt in ea arte labyrinthi, tot angiportus, tot ſcopuli, quos ni dextro Mercurio & itineris ceu duce uſus fueris, uitare, ne dicam ſuperare, facile non ſit. Hic ne quis rerum imperitior forte impingat, cauiſſe credo, uiros, ſane prudentia ſumma præditos, qui tot congeſtis in rem medicam, iſagogis, tot in arctum contractis compendijs, quæ prius, quæ poſterius, ſint diſcẽda, præſcripſerunt.

Eius generis innumera dedit exempla Arabum illa, & nuper florida Barbaroꝝ ſchola medica, pdiere hinc, uniuerſales Auicennæ canones, adiectis ad hanc rem ſpectantibus, eiuſdẽ autoris Fen aliquot. Poſt hunc librum, Ioannitij iſagogæ non contemnendæ eruditionis ſane liber, publice prælegi cœptus eſt. Et noſtris, hoc eſt, latinis hominibus, tandem ſimilia tentãdi immo & abſoluẽdi, non defuit ſtudium. Dedit nuper ut compendioſiſſimas ita utiliſſimas, diſcendi medica figuras, Ianus Cornarius. Et hunc ſequutus Ioannes Fuſchius, idem tractat argumentum, digeſto tamen magis & lucidiori ordine.

Ad quorum uirorum præſcripta, utinam ſtudioſa rerum medicarum iuuentus, tam cœpti ſtudij attemperaſſet inſtitutũ q̃ egregie neglexit hactenus, minus hoc ſeculo, turbatũ iri, atq; turpiſſime confundi, ſtudiorum quereremur ordinem.

Abſolutis introductionum, ut ita dicam in re medica libris qui deinceps medico futuro euoluendi ſint libri, diuerſi diuerſa ſentiunt, & quod uetus habet prouerbium: Quot capita tot ſunt & ſenſus.

Sunt qui artẽ medicam à diui Hyppocratis ut utiliſſimi ita obſcuriſſimi longe autoris aphoriſmis, auſpicari malint, Sunt

qui à Galeni, eruditissimo opere Arte parua initiari uelint. Et alij alijs. Huc initiandi deferũt honorem. Per me liberum est, cuiq; suo docere atq; discere modo. Qui mihi medica assequẽdi commodior uideatur esse scopus, non incõmodum, hic recensuisse uidebor, quod plerosq; longe alio, q̃ quo ego dicturus sum modo, non sine studiorum incommodo & temporis iactura medica sectari uideam.

Inter ea rudimenta, quæ medicinæ cãdidatum nullo modo præterire par est, præcipuum adeoq; primũ sibi locum, Anatomiam (hoc est humani corporis per dissectiones cognitionem) sortiri puto, ut reliqua omnia siue priora siue posteriora statuas, nisi exactissimã Anatomiæ rationem adhibeas, frustra te laborare senties. Non immerito itaq;, totum medicinæ negotium Anatomiæ ceu basi incumbere uidetur, quod reliqua omnia absq; unius Anatomiæ cognitione, manca atq; nullius usus esse uideantur.

Ob id merito Anatomia, ad assequẽdum medicinæ studiũ, primas habere debet. Id dum, argumentis ita sese habere ostendam, breuibusq; Anatomiæ artem, laudibus extulero, abutẽdo uestra benignitate, paululum non sit molestum rogo.

Principio, si ex fine, cõmodiq; gratia singula institui debeãt, quantũ Anatomia humanæ uitæ cõferat, perpendi uelim. Philosophandi enim totum negotium, ex corporis humani structura, ceu radice fertilissima, depẽdere uidetur. Hominis enim causa quæcũq; hic inferior habet mundus, à Deo omnia esse creata, quis neget? Creatis autem, recte ne, an secus utaris, ubi domini creatorũ, hoc est, hominis naturam ignoraueris, qui fieri potest ut noscas? Adeo ut plerũq; uenenum pro antidoto, ignorans rerum temperamentum sumas.

Ad noscendam autem hominis naturam quã hic temperamentum uoco, æque mihi errare uidetur is, qui domus ne pro be constructa sit, à forma quæ oculis exterius occurrit, atque non potius ex singulis quibusq; partibus, quibus domus constat, deprehẽdere conatur. Sic nec unq̃, quod hominis temperamentum, quæ natura, qui rerum ordo, noscere potes, nisi singulas, etiam minutissimas, ex quibus humanum corpus constat, perquisitas habueris partes.

Perquirendi autem modum, unica & præcipua ars tradit Anatomiæ, ut mihi non frustra, medicorũ omnium, post Hypocratem, princeps Galenus, tot æditis in re medica libris, acutior nullibi, uigillantior nusq̃, quàm in referendis, quæ ad Anatomicũ spectant negotium fuisse uideatur. De Anatomicis aggressibus nouem reliquit libros: De usu partium, eiusdem argumenti, doctissimorum manibus septendecim teruntur uolumina, ad hos, quibus ea quæ hic refero, minus fidem faciunt remitto.

Res optime tũ cõseruari, si suo loco, suo tempore, suo modo adhibeãtur, non frustra olim putatum est. Hoc quid aliud? q̃ si ad temperamenti cuiusq; rationem, singula singulis adhibeãtur, tum probe quæq; ualebunt, atq; munia sua perficiunt necesse est. Ex dissectionis autem proba cognitione, quæ cuiq; mẽbro, cuiq; cõplexione, aut ad conseruandam, aut ad recuperandam sanitatem, adhibenda sint probe edoceberis. Vt mihi uel hinc uitam mortaliũ tot esse obnoxiam malis, certo persuadeã quod rarior sit, hoc nostro seculo, qui uel ex dissectione, quomodo uitæ labanti succurrendum sit, noscere uelit. Satis interim nos medica callere putamus, si ut casus offert morbũ, ex apotheca consarcinatum infarcias medicamen.

Fuisse olim, qui ut annorum numero, ita & salubri uiuendi ratione, ætatem hanc nostram superabant, mirari desinemus, si in perquirenda atq; custodienda hominis natura indefessum atq; nunq̃ satis laudatum, prisci illius seculi, in memoriam re-

uocauerimus studium.

Ad frugalitatem uitæ,alij referunt,quod ego potius medicinæ opera,factitatũ esse reor.Frugi enim uiuere, quorsum attineret,ubi non ex corporatura ,hoc est, corporis tui temperamento didiceris antea,quantũ uel condonandum uel abstinendum corpori sit,à rebus circa corpus sustentãdum necessarijs.

Ephiphonematis loco,celebris est apud Astrologos sententia. Quæ Deus uoluit hoïes scire,ea in cælo scripsit.i.ex Astrorum & corporum metheororum,Solis & Lunæ aliorumq̃, qui cælo continentur,planetarũ motu & cognitione,homines scire queũt,quæ deus,in hæc inferiora,hoc est, mundũ & terrã agere uelit.Demus cælum esse humanæ eruditionis, nnnq̃ satis perscrutabilẽ librum,demus,omnia,omnium hominum ingenia,exercitanda esse,in perquirendis tantæ machinæ cælestis mysterijs. Verũ, extra te quærere quæ propius atq; in te ipso sint posita , nonne summa est imprudentia atque furori simillimum? Habet cælum Solem & Lunã luminaria duo magna, & ea in corpore humano,hoc Cor,illud Cerebrum,ex principibus humani corporis membris,præcipua,cælestibus illis respondere nouimus. In cælo enim,ut calidissimum ardorem Solis,& Martis,amica Lunæ atq; Veneris attẽperat frigiditas,ita ni cordis estuantissimum ardorem,cerebri , emolliret frigiditas,facile, qua connexi sumus, temperamenti solueretur compages.

Cælo planetarum puta Saturni,Iouis,Martis,Mercurij,Veneris,ordinem,proba & neutiq̃ in hac re falsa , antiquorũ adfinxit sedulitas,sic ut inferior superioris mitiget qualitatum excessum quod ni fieret breui, Martem aut Saturnum,omnia labefactari,non frustra creditum est.

Similis est in corpore hũano,particularũ ratio Epatis eñ Splen mollit atq; refrangit calorem,cum hoc Marti illud Saturno attribuatur. Singulæ in cælo,ad singulas in corpore humano relatæ sunt partes,ut caput Arieti,collum Tauro,& reliqua,ut sequũtur ordine in Zodiaco circulo signa. Adeoq; inferiorẽ hunc mundũ, habere nihil putant, cuius non simile in supramũdano illo sentiat,putauere uiri naturalium rerũ exercitatissimi,ut uel hinc manifesto colligi queat,non frustra olim hominem Microcosmum esse appellatum.

Spectasse id credo,Vitruuium,& eos qui post hunc de condendis Deorum templis,scripta reliquerunt: Ex humani corporis scilicet proportione atq; symmetria ,ædium,singulas dimensionum partes transsumendo.

Diuinarum rerum cum erãt studiosi , prudentes atq; diuini nimirum homines,quo deum placarẽt, struere tẽplum, quod quàm ꝓxime, ad dei uel mundi accederet archetypum (deoꝝ esse enim domũ cælum,quantumuis etiam barbara , concessit ubiq; natio). Ad cæli itaq; typũ domũ cõstruere,placãdo deo amplitudo molis prohibebat, quod proximum est perficitur scilicet ad corporis humani,quod post cælum Deo est proximius,templa ædificari cœpta sunt.Ex corpore perfecto hominis,ceu Policleti regula, artis architectonicæ desumpta sunt rudimenta.

Verum hæc, tam longa periodo repetita,quorsum? Eo auditores humanissimi,ut uos ad humani corporis perscrutanda miracnla,adeoq; ad ueram illam microcosmographiã, perspiciendam quoquo modo inflammare queam.

Certatum est olim.Quis medicinæ primus fuerit inuentor alij Aesculapio, alij Asclepiadi,alij alijs , prout in hos uel illos, erant amore procliuiores tribuebant.Ego tantũ beneficiũ,rectius,prudentum olim uirorum industriæ,quales fuere Hyppocrares in Coo insula,atq; longo post hunc tempore,in Græciæ Pergamo Galenus,lubens attribuero.Hi enim hominum

cadauera, plerunq; etiam brutorum animantium corpora, ab hoc uel isto morbo interempta dissecabant, non contenti, membrorum hominis temporariã & fortuitam uidisse Anatomiã nisi & mortis, qua aĩal, prius obĩsse norant causam exploratã haberẽt. Eoq; modo, ut reliquæ artes omnes, quotidiano incremento, ex particularibus atq; priuatis, in generales medicinæ, abiere regulas, stupendoq; & mirando ingeniosorum hominũ conatu, ad posteros tandem defluxit medicinæ artificium.

Qui resecandi mortuorum cadauera modus, utinam tã sancte, ut est à prioribus, magno quidem labore institutus, nostris hoc est, posteris hoĩbus fuisset obseruatus, minus laborarem⁹ tãta impostorũ insciția, minus crebras esset uidere hominũ tot insperatas mortes minusq; impune, solo medico hoiẽm occidere liceret, experimẽtaq; per mortes agere, & reliq; eius gñis plura, quæ non frustra suo damnabat seculo Plinius. Resecandi igitur is modus, q̃ olim fuerit in pretio habitus, atq; nulli non cognitus, ex ueterum facile est uidere relictis monumẽtis. Ab antiquissimo & doctissimo omnium Hyppocratis libro, eius rei periculum facere libet. Euolue Aphorismorum aliquot lineas, ni quæ dicuntur ex Anatomia sint deprompta falsus ero. Sententiarum ego aliquot quo me uera dicere probem recitabo:

Inquit Hyppocrates de cõceptu fœtus. Mares quidẽ in dextris, fœminæ uero in sinistris concipiuntur. Mulieri utero gerenti si altera mamma gracilis fiat, geminos habenti, alterũ abortit, & si quidem mãma dextra gracilis fiat, marem, si uero sinistra, fœminam. Rursus: Mulieri si uelis mẽstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximã ad mãmas appone. Rursus: Dolenti partem capitis posteriorem, in frõte recta uena incisa, pdest. Rursus: Si quod intestinorum gracilium, discindatur, nõ coalescit. Iam eorum aphorismorum genuinũ sensum, unde rectius q̃ ab Anatomia ex qua & ab autore ipso desumpti sunt deprehendas non uideo.

Quod si rebus, splendorem atq; commendationem parit, autoritatis magnæ fuisse uiros, qui eandem rem, quam commendare studeas, tractarunt, nescio an unq̃ satis laudibus hæc ars uehi queat. Tot enim clari uiri hãc artem tractarunt, ut & posteris insignes libros eiusdẽ artis, reliquerũt. Vt Hyppocratem, Aristotelem, atq; Platonem taceam, qui singuli singulos libros, hanc artem pertractantes, reliquerunt. Galeni in hac re mirum studium pauliſper hic considerari libet. Scribit is atq; gloriæ etiã loco ducit, se sub Antonino Imperatore (eius enim temporibus uixit) Romæ in frequentissimo cœtu patriciorũ uirorum Anatomias exhibuisse.

Habuit sub id tempus, familiarem sibi Romanorum consulem Flauium Boëthum, quem tanto amore Anatomicæ speculationis flagrasse dicit, ut nemo uixerit mortalium unquam qui magis. In eius Boëthi gratiã aureos illos nouẽ librorum cõmentarios, quibus de Anatomicis aggressibus titulum fecit, perscripsit. A dictis quibusdã alĩs libris, ut sunt, quos de Anatomia uiuorum, item & mortuorum scripsit: quos libros iniuria temporum, ad nos peruenire minime passa est. De Boetho Consule libet ipsius Galeni uerba, q̃ iucunda sint admodum, subscribere. Ita inquit:

In patriam meam perrexi, in qua haud ita diu commoratus Romam redĩ, ubi permultas Boëtho consectiones ostẽdi, præsentibus quidem ei semper Eudemo Peripatetico & Alexandro Damasceno, qui & alĩs plærisq; uiris præclaris, quemadmodum & Sergio Paulo Consule, nunc Romanorum præfecto, uiro tum rebus tum disciplinis philosophicis, per omnia præcipuo. Hactenus Galeni uerba recensui.

Quantus itaq; honor, quanta dignitas olim fuerit attributa

resecandi studio uel hinc est colligere,q; Consulares uiri penes quos,tum orbis totius ferme erat fastigium, sese ad hæc studia dimiserũt.Adfuerunt Consulares,studio & professione, ut apparet,à medicina alieni.Nos,qui ex professo, artem medicam tractamus,nos qui,si dijs placet, naturæ magistri haberi cupimus,ista negligimus, adeoq; præterimus,ut nec ea scire nostra inter esse putemus.

Pudet atq; dolet interim,ex culina prodire coquos,ex rure anus uetulas,quæ nos in resecandi officio,si non superant,omnibus certe modis æquant.

Nos illa uulgo committimus, sine quibus, reliqua medicæ artis opera,nullius esse momenti constat,In pleuresi,in Colico morbo,phrenesi,calculo,& id genus reliquis morbis, præexercitatum fuisse in Anatomico negotio,quantũ profuerit quis non uidet? In hijs enim morbis,nisi exacte prius ex dissectiõis arte,singulorum morborum,singula loca atq; naturas, explo raueris,à medicoq; à morbo,periculi plus esse ægroto, ut Plinius dicit, nouimus omnes. Videmus hodie, turpi medicinæ nominis ignominia fieri,quanto uulnerarij medici habeantur in pretio,quod feliciores,eorum conatus plerunq; habeãt successus,commoditatem hanc medicandi,nõ eruditio, quæ rara in hoc hominum genere esse solet,sed crebra, quam circa uulneratos plerumq; exercent,resectio, artem atq; authoritatem illis cõciliat. Ad uiuum enim,præsentes præsentibus uulnera incidunt,dilatant,rupturas curant eoq; modo singula mẽbra, ut digitos proprios, in numerato habent. Nos cõtra,ex libris obiter legisse adeoq; nauigandi artem,ex charta,uel mappa,ut est in prouerbio, didicisse,sat esse putamus.

Immo sunt qui eousq; peruenerunt dementiæ, ut ad medicinæ usum,parum aut nihil conducere Anatomiæ studium, pronunciare ausint sat suo se functos officio,putantes, si inspecto lotio,Receptulam in apothecam scribere norint. O hominum corruptos mores,o uitæ nostræ ignauiam.

De tam perditis hominum impostoribus medicastris ut sumatur supplicium,Reipublicæ non parũ prodesse puto,ita publice,ex communi ærario proposito salario prouocare, qui crebras apud singulas ciuitates exhibeant Anatomias mirum in modum conducere, reor. Nulla enim tam recte unq; instituetur respublica,quin aliquoties siue id belli, siue pacis cõtin gat temporibus,uarijs morbis adfecti laborare cogãtur ciues, hijs ciuium morbis,ut opem ferat,qui apud te incisione atque sutura chyrurgus,aut potione medicus,curandi habet officiũ, ut singuli morbi sint curandi ex Anatomia prius si didicerit, nonne ex re omnium fore uideatur?

Instituendarum scholarum, quo rectius tenera instruatur ætas,nõ immerito magni existimari debet negotium, Concionatorum exactissimus,corrupto hoc seculo, habendus est delectus.Quod in hijsce duabus rebus,prouehendo rectius, aut corrumpẽdo turpius,rempublicam,maximum momentũ in esse puto,iam tertiũ,q; æque ut priora duo si nõ maiorẽ,æqua lem saltem,ad promouendam rempublicam,habet cõmodita tem.Medicina scilicet recte uel secus in quaq; Republica instituatur,minus esse erratum puto. Instituetur autem tum recte, ubi corporum nostrorum cognitionem ex Anatomia ceu rudimentis certissimis addituri postea,quæ reliq; medicinæ sunt opera,didicerimus.

Quare nullis unq; laudibus,satis celebrari potest, illustrissimus,idemq; humanissimus patriæ Princeps Philippus,qui ex innumeris quib⁹ de Republica sua,passim benemereri studet, beneficijs & hoc nuper ultro,nemine,ut credo,ad hoc instigãte, permisit, ut deinceps in hac celebri Academia, frequentes publicæ exhibeantur Anatomiæ.

Vidit sapientissimus Princeps, quanta posteris ex hac re sub sequutura sint bona, Verum ei⁹ instituti probissimi, cõmendationẽ hic texere nolo, ne prolixior fiat oratio. Ad id à quo paulo sum digressus, me recipio. Ostẽsurus scilicet non solum medicis, sed & cuiq; ordini literario iucundam & necessariã q̃si esse, partium corporis, quæ ex Anatomia discitur & cognitionem. Verũ, prius, quid artem hanc deturparit, hodieq; neglectui reddiderit, dicam, post reliqua.

Sunt res multæ, quæ non sui natura sed hominum opinione corruptoq; iudicio, existimantur inhonestæ atq; turpes, ut, qui apud ciuium ordines reipublicæ inseruiunt lictoris fungendo officio, nocẽtum, qui uita priuandi erunt, nullo modo sese contaminant uitio, tamen, uulgo ubiq; receptum est, ne quis honoratior paulo, lictori, aut cohabitet, aut cibum potumque unà capiat. Eiusdem corrupti iudicij esse, mihi uidentur, qui, à medico Anatomicarumq; rerum studioso cadauer contrectari, turpe esse putant, non quod, quæ id prohibeat, habeant causam, nisi, omnino cum decrepitis illis uetulis impium esse putare uelint, in mortuum, quod isti calumniantur sæuire, & mortuo non infligenda esse uulnera.

Dicam liberius, de hoc genere hominum quid sentiam. Affectus sunt muliercularum plus satis, quæ, si cognatus aut adfinis quispiam è uita excesserit, se optime tum pietatẽ exercere putant, ubi congruo aliquo loco terræ (ut hactenus putatũ est consecratum cemiterium) sepeliretur corpus, quo parentandi non deesse possit officium. Superstitiosa aũt hæc pietas, q̃ cuiq; cordato uiro, ueréq; pietatis studioso, ridẽda sit, quis nõ uider.

Receptum olim erat, uiuos homines, è carcere atq; uinculis raptos, ad Anatomias poscere, idq; non tam cruciandi nocentes, q̃ artem Anatomicam exercendi, causa factitatum esse nouimus, Idem nos facere, Christiana phibet pietas, cum tamen innumera ex uiuorum Anatomijs ad artem nostram, referantur commoda. Aliam enim esse, membrorum posituram in uiuis, ubi spiritus uitalis beneficio, elata sunt atq; turgent quæ in mortuis plane concidunt atq; cõprimunt menbra, ratione facile est deprehendere. Excusare poterat priores, Anatomiæ ardentissimum studium, ut nec ea quæ alijs dura atq; horrẽda uiderentur propter hominem iuuandum obire ueriti sint.

Nos, cum, nec eodem modo, ut illi, uiuos dilaceremus, cur nos uulgi superstitio, uulgi semper corruptum iudiciũ crudelitatis, impietatisq; incusare atq; traducere, debeat, iustam subesse causam non uideo.

Mitius omnia quàm illi, nos nostra tractamus, ex luto, auru scilicet, quod prouerbium habet, hoc est, ex cadauere uili, mox uermibus tradendo, ad humanæ uitæ usum, tãta commoda, ex Anatomia cũ paremus, pro tanto beneficio, qui nos odio prosequãtur, haud bene gratos erga uitam hominũ esse puto.

Pontificum summorum decreta, in aperto est, quãtum honoris, defunctorum concedant corporibus. Quanto studio, ad superstitionem etiam usque pio, sepultura, hactenus excoluerit sacerdotalis ordo nouimus. Tamen si uspiam bene, hic optime Papistarum decretum statuit, ut medicis, mortuorum corpora, propter Anatomicum negotium, impune, atque magno cum honore liceat dissecare. Quod itaq; ratio dictat, leges permittunt, stultum est ignominiosum atq; turpe putare, nisi aperte, cum ratione insanire quis uelit.

Sunt meticulosi quidam mulierarij plus satis homines, fateor, qui contactũ demortui hominis usq; adeo horrent, ut ne digito contingere audeant, horrore atq; pauore omnia circũ scribentes, ut & ijs paucis respõdeam addere quædam libuit. Rarior usus resectionis, horrendum spectaculum corporis Anatomici reddit scio.

Verum ad hanc rem ſemotis affectibus ſi rationem mentis adhibueris, reuera hominem mortuũ, à mortuo equo uel aſino, tantũ differre, quãtũ lapidem à ligno ſenties, cum utrunq; æquæ uita careat, in diuerſo tamen genere recipiuntur.

Sunt præterea alĳ, qui & ſi nec primo, nec ſecundo peccẽt modo, ad inſaniæ tamen rationem quod attinet, non multũ à prioribus ſunt inferiores, hĳ propter humani cadaueris fœtorem, quẽ inter reſecandum intolerabilem fingunt, ab Anatomia penitus abſtinẽdum eſſe ducũt. Delicatulũ certe genus hominum, quos in Gynæcio rectius cum Galeni illo Theſſalo, lanam ducere, quàm apud cordatos uiros, medicã tractare, cõuenit. Hĳ ſunt qui repudiatis omnibus bonis diſciplinis, quæſtui ſuo turpiter inſeruiendo, quæ ipſi ignorant, in alĳs damnare, pulchrũ eſſe ducunt, quos cloacis repurgandis, q̃ Anatomicis exhibendis, aptiores eſſe dixero. Quos mihi narras fœtores? obſecro quos? Tu ne naturæ quæ ſunt opera, modico tẽpore, ex Anatomia perquirenda fœtorem ferre turpe eſſe ducis? & interim te falſo naturæ magiſtrum medicinæ ſcilicet expertum Doctorem, uenditas?

Hyppocrati olim, contumeliæ cauſa obiectũ eſſe nouimus multisq; modis, eo nomine à Zoilis proſciſſum, quod ex homine reiectũ excremẽtum ore deguſtauerit. Hæc ſcatophagia tãtũ abeſt, ut doctiſſimi uiri nomẽ obſcurare poſſit aut debeat ut & hinc ſplendoris multũ Hyppocratico noĳ accedere putẽ.

Ad tam enim uilia, atq; omnib⁹ deiecta, propter hominem ſeruandum ſeſe dimittere, diuini potius q̃ humani eſſe candoris, quis non eſſe uidet? Tu ne itaq; Hyppocrate ipſo es ſuperior? ut Anatomiam à fœtore damnes, cum Hyppocrates hĳs grauiora multum pertulerit? Ex tua ſchola, hoc eſt, Barbarorũ triuio, quod crebro circũferri ſolet, natum eſſe carmen num agnoſcis? Stercus & urina, medicorum fercula prima. Sũt nobis ſigna &c. notũ enim. Quem ex urina, quo quæſtui tuo turpiter inſeruias, fœtorem percipis, ſi apud te nullus eſt: cur hic in re tam honeſta & neceſſaria offendit olfactum.

Faceſſat itaq; purpuratus ille annulatus q; Doctorculus, cũq; ſibi ſimilimo Galeni Theſſalo, interim dũ nos Anatomica tractamus, ille magnatũ atq; præpotentũ, turpiter obſeruet mẽſas, de calicibus epotãdis certet, & reliqua id genus quæ Theſſalo ſuo Galenus obĳcit, grauiter exercere pergat.

Dĳ boni, quantũ eſt incommodi, unam atq; alteram horam quouſq; ex Anatomia, inteſtina, quæ ſola fœtorem habent, neq; id tamen ſemper, explicantur ſeſe continere. Ego tanti cõmoditates ex Anatomia æſtimo, ut omne quantũuis etiam graue eſſe poſſit, ex animo mihi excutiant tædium, atq; pauorem. Nõ aliter ego, ad Anatomica adfectus ſum, q̃ olim fuiſſe Galenum conſtat, cum toties ſuas ſimias diſſecaret, ſic, cum hœdũ ex prægnante capra uiuum excinderet, ſic, cum latronis cadauer à uulturibus, ad oſſa uſq; denudatum, conſumpta carne, perſcrutaretur. Qui alĳs fœtor nobis amaracinum olet. Admouit naribus olim uectigal ex lotio corraſum Veſpaſianus Imperator, Lucri odorem eſſe bonum ex re qualibet affirmans. Is quod turpis lucri gratia, nõ turpe eſſe duxit, nos phyſica perquirendo, turpitudinem eſſe putamus?

Verum quẽ tu mihi hic narres fœtorem, non uideo, cũ tot boni, circa corpus noſtrum Anatomicũ, exhibeantur ſuffitus, tot bene redolentes collocentur flores, tãta munditia atq; puritate ſingula tractent, ut nec ubi laueris balneo, tu tua, æque ut nos noſtra ablues mũdius. Relicto itaq; fœtore, ne & ipſa prolixitate orationis audiendi fœtorem uobis concitem, relictis qui Anatomica, ſeculo noſtro, male proſtituunt, ad Anatomiæ commoditatem & quantũ ſit neceſſaria, cuiq; artium facultati, id quod ſupra promiſi, explicandum accingor.

Ex ijs itaq; cõmodis, quæ Anatomia nobis præstat, nec parui momẽti esse puto, in recte curandis ægrorũ corporibus, Anatomiã nobis indicare, ubi antehac perperam in cura erratũ sit ut hoc rectius in posterũ instituatur. Idq; qui medicinæ dedere nomen maxime spectare uolo. Reliquos uero homines, qui obiter non exprofesso tractãt medica, una cum Galeni Boëtho Consulari uiro, iucundius sese intra se, ceu inspecto speculo, rimari atq; pquirere uolo. Vt sunt ingenia hominum ad pquirandas artes, naturali quodam instinctu nata, uarijs, uarijs sese oblectant studiorum generibus. Hic terræ miracula percõctãdo, quæ apud Antipodes geruntur, legendo perquirit. Is cælo adfixus, in stellarũ deprehẽdendo cursu honesto me hercle studio sese occupat. Ille fluuiorum atq; fontium rimatur naturas, atq; sic alij alijs sese oblectant studijs, quorum omnium studia tantũ abest ut damnem, ut probẽ maxime, modo delectus studiorũ, præcipue in re medica habeatur. Ita enim insudare alienis, ut quæ proxima atq; in te ipso sita sint negligas, non sapere, sed ordine peruerso, maxime desipere uidetur.

Mirum, quantum hodie de herbula quapiam, perperam apud hunc uel illum autorem pronuntiata digladientur scholæ. Idem studium, cur non in cuiusq; corporis addiscendis perquirẽdisq; partibus adhibetur? Bibliothecas, optimo librorum thesauro, optime instructas miramur exosculamurq;. Naturæ hic ueritissimus atq; à nullo unq̃ Typographo corrũpendus est liber, corpus humanum scilicet, hunc cur nõ nocturna manu, cur non etiam diurna sedulo euoluimus? Dormitatũ est hactenus, cessatum etiam ab honestissima omnium & maxime necessaria arte Anatomiæ, hoc, quod plerosq; etiam magni nominis & autoritatis uiros, in nephandos duxit errores. Eorum hic breuiter, aliquot indicabo, post orationi finem facturus.

In Macrobio habetur existimatum esse in collo binos esse tramites, alterum cibo, alterum potui accommodatum, quem errorem & Plato ille diuinus, turpissimo certe lapsu, sequutus in Timæo suo, esse uidetur, ita enim inquit:
Pulmonem tegmen Cordi adhibuerunt, molle primum atq; exangue, deinde cauis intrinsecus fistulis, spongiæ instar distinctum, ut spiritu potuq; hausto, cordis ardorem, huiusmodi respiratione refrigerio tepefaciat. Hæc Plato, inepte sane Pulmonem potum atq; spiritum, recipere credit. Eius generis insignes aliquot lapsus, plerunq; etiã apud Iurisconsultos, ut uulgi interim iudicium præteream, est uidere. Ex multis paucos quo non sim prolixior, orando recitabo. Vlpianus in Lege Si pr̃ meus. ff. De Solutiõibus dicit, Aristot. scripsisse quinq; liberos unico partu nasci posse quia uuluæ mulierum totidẽ receptacula habere possint. Et fuisse mulierẽ Romæ Alexandrinã ab Aegypto, quæ quinq; simul pepererit, eosq; habuerit incolumes. Reliquum literatorum, atq; inepte philosophantium uulgus, errorem errori sarciẽdo, priorẽ errorẽ superat. Septẽ enim, nescio quas cellulas (ita enim loquuntur ipsi) in matrice esse statuũt. Eorum q̃ nihil sit uerum, crasseq; q̃ sit erratum, solamq; unam esse uteri muliebris cauitatem, ad sensum ex Anatomia demonstrare non est difficile. Posse tamen, non modo septem, sed duodecim, ut adserit Albertus cognomẽto Magnus, immo plures etiam aliquando in eodem utriculo contineri fœtus, diuersis tamen inuolutos membranulis, quas secundinas uocant non inuitus concessero. Quandoquidem & plerũq; superfœtationem, aliaq; id generis multa fieri, ex prægnantis Anatomia, longe antehac didicimus.

Nec errore etiam uacat, quod in Clementinis per Cardinalem Zabarellã, Clementina prima, de consanguinitate & adfinitate, quæstiõe xv, refertur. In Frãcia olim imprægnatã fuis

se quandam,cuius uirginitatis,clauſtra omnia(ea enim ſunt te xtus uerba) firma atq; illæſa manſerunt,adeoq; prægnatam eſſe uirginem nõ deſitiſſe.Id q̃ nullo modo unq̃ fieri poſſit,Anatomia ei⁹ partis ſeu mẽbri muliebris,euidẽtius demõſtrat.

Tales reper iripaſſim in iuriſconſultorum libris errores, non eſt inuentu rarũ,ſi quis attente perquirere ſingula uelit.Id que ne ſimili ſcilicet errore,ut in imaginarijs iſtis cellulis, inuoluerentur poſteri,cauiſſe credo iuriſconſultos. Qui, quoties de naturæ rebus ambigeretur,ad obſtetrices,quarum officio,medici, in partu excludendo utimur, uentris inſpiciendi adeoq; cuſtodiendi partus,deuoluere negotium.Lege.ſ. ff. De uentre inſpiciundo.

Nec ea iuriſperitos perſtringendi cauſa,hic refero, uerum ut cuiq; ordini ſtudiorum Anatomiæ cognitionem iucundam & neceſſariam eſſe obiter demonſtrarem.

Iam & theologis artem hanc noſtram prodeſſe, apertius eſt q̃ hic negari queat.Ad excolendum animum,ad mores corrigendos,theologorum refertur ſcopus.Nec hic repugno,modo nobis non negent,id quod luce clarius etiã eſt,animum ſcilicet, omnino ſequi corporis temperamentum,neq; aliter nos bonos aut malos,ad uirtutes aut uitia eſſe pronos,q̃ ut corporis ſuppeditat temperamentum.Ad Galeni librum,in quo argumenti loco tractatur:(Quod animi mores,corporis temperaturam ſequuntur)quibus,quæ à me iam dicũtur,difficile eſt fidem adhibere,remitto.Quod ſi nec is liber,ad probandum qđ uolo ſatisfaciat, ex quotidiano uſu uini immoderatius paulo ſumpti,quàm uarie diuerſisq; modis à rebus externis, immutetur,quantumuis etiam eucraton temperamentum, cõſidera re iubeo.Quos enim antehac triſtes, puſillanimesq; uidimus, ubi uinũ acceſſerit, quaſi alios à ſe factos modo hilares, modo audaces,modo facundos uidemus,& quid modo ebrietas deſignat operta recludit.Spes iubet eſſe ratas,ad prælia trudit inermem inquit ille.Ex cibo atq; aere, etiã multo maior eſt temperamenti,q̃ ex uino alteratio,ut hic reliquas, quas medici ſuo modo loquendi, res non naturales uocant,ſomnũ & uigiliam quietem & laborem,inanitionẽ & repletionem,taceam.

Hæc ubi theologi conſiderare, rectaq; ratione perpendere, uelint,non ægre mihi conceſſuros credo, bonam partem bene beateq; uiuendi,ex particularũ corporis temperamento accreſcere.Partium autem temperamentũ,quemadmodum & ipſa poſitura corporis uniuerſi, ex Anatomia, quod ſupra dixi,ut nuſq̃ rectius,addiſcetur.

In immenſum abiret oratio,ſi ſingula quæ huc, in eius artis Anatomicæ commendationem uel neceſſarium uſum, adduci poſſint,recenſere uelim. Ego ſaltem,per tranſennam uobis uſum artis indicare uolui,ut uos quoquo modo ad eius honeſtum ſtudium,pellicere queam.

Cum itaq; Anatomia totius negotij medici certiſſimum ſit fundamentum,unde rectius eius ſtudij rudimenta ſumas, cum tam neceſſaria ſit ars,ut reliqua fruſtra ſine cognitione partiũ quarumlibet corporis humani, percepturus ſis.Tantũ deniq; utilitatis ea ars,atq; iucunditatis in uita hominum,cũ præſtet, atq; tandem,ut ſemel finiam,cũ in celeberrima hac noſtra uniuerſitate hic gratis, nulloq; ſumptu, quod alias, uix magno ære,tibi comparare queas,per Patriæ Principis beneuolentiã, totum Anatomiæ negotium,intra pauculos menſes,abſoluendi tam oportuna data ſit cõmoditas,ut uel hinc ſcholæ noſtræ, non modicum autoritatis & commendationis (ubi diuulgatum erit,hic crebras exhiberi Anatomias)acceſſurum ſperẽ. Eam itaq; artem Anatomiæ,omnibus modis uobis commendatam eſſe uolo,eam uobis tractãdam propono.Ad me quod attinet, ita uobis meum laborem faciam communem,ut non

mihi ſed uobis ſtuduiſſe, uideri queam. Quam totiens non ſine ſudore repetitæ, tam animantium brutorum quàm hominum diſſectiones. Quam, tot Anatomicorum autorũ ſedula atq; uaria lectio mihi conciliarunt, qualencunque eruditionẽ lubens uobis communicauero. Reſtat ut ueſtra negligentia, ueſtra ſocordia, me fruſtra uobis beneuoluiſſe, non feratis. Id tum fiet, ſi eadem diligentia, hanc artem, qua reliquas diſciplinas ſoletis, uobis cõmunem atq; familiarem facere ſtudueritis.

DIXI.

SEQVVNTVR FIGVRAE ANATOMIAE CAPITIS HVMANI, AD VIVVM DELINIATAE ATQVE EXPRESSAE.

Siniſtri lateris columna, ubiq; ſequentis figurae ſingulas partes exprimit.

VNIVERSALIS FIGVRA CAPITIS HVMANI, CVIVS explicationem, in fine figurarum capitis, reperies.



Vniuersam fermè capitis humani Anatomiam, aliquot figuris absoluere est animus, cuiq; figuræ, demonstrationis gratia, suas litteras apposuimus.

A. Itaq; funem significat, quo in circuli modum, religatum est caput, abrasis prius capillis undiquaq;, id quod passim per nigricãtia pũcta cuti capitis impssa, indicatũ esse uoluimus.

Estq; funiculi is circulus, instituendæ Anatomicæ operationis terminus, qui excoriãdæ cuticulæ, adeoq; serraturæ locum in cranio exprimit.

B. Incisionis lineam à fune supra nasum, per uerticem in occiput perreptando indicat.

C. Transuersam incisionis lineam circa aures, utrinq; terminũ funis contingentem, significat.

Instrumenta, quibus in Anatomico opere utimur, ut nouaculam, orbicularem serram, graphios, furculas, forcipes, & eiusce generis reliqua, picturis passim adpositis expressa esse uides.

Capitis figuram Cornelius Celsus sic describit: Caput igitur eaq; quæ in ore sunt, non lingua tantummodo palatoq; terminantur, sed etiam quatenus oculis nostris exposita sunt. Caluaria incipit, ex interiore parte concaua, extrinsecus gibba, utrinq; leuis & qua Cerebri membranã cõtegit & qua cute capillum gignente contegitur. Eaq; simplex, ab occipitio & temporibus duplex usq; in uerticem, à fronte est.

Partes capitis has Auicẽna numerat, Capillos, cutem, carnem, pãniculũ exteriorẽ, craniũ, pãniculos intrinsecos duos, Cerebrũ, duos pãniculos inferiores, rete mirabile, os basilare.

CAPITIS HVMANI FIGVRA PRIMA.



In hac secunda figura, uides duas Cranij exteriores cuticulas, ad funiculi usq; circulum detectas, excoriatasq;.

A. In utroq; capitis latere crassiorem cutem, ex qua capillorū prodit seges, designat. Ea est crassioris naturæ, propterea & maiori radice illic capilli nitūtur. Sub eaq; cute lentor quidam magis mucosus est. Vnde & morborum innumera mala nascuntur.

B. Interiorem ossi capitis concretam membranam designat, περικρανίον Græci uocant. Hæc ut uniuersum capitis os cingit, sic & sensum plane ministrat. Sunt eius pelliculæ, tria potissimum commoda, quæ iuuamenta Mundinus uocare solet, primum ut Cranium à cuti, & cutis à cranio sine medio non tangatur. Secundum, ut cranium per hunc panniculū sentiat. Tertium ut per hunc panniculum Dura mater suspendatur cum Cranio.

C. Cranium, cum suis suturis, atq; ossium compaginationibus designat. Vbi, suturam per os frontis ad nasum ferme, in mulierum plerunq; cranijs perreptare, secus autem in uirorum capitibus, notaueris.

Celsus, Ossa capitis ab exterioribus dura, ab interioribus (quibus inter se cōnectuntur) molliora sunt. Interq; ea uenæ discurrunt, quas his alimentum subministrare credibile est. Raro autem caluaria solida sine suturis est, locis tamē æstuosis facilius inuenitur. Et id caput firmissimum, atq; à dolore tutissimum est, ex cæteris, quo suturæ pauciores sunt, eo capitis ualetudo commodior est. Crassissimum uero in capite os, post aurem est, quia capillus (ut uerisimile est) ob id ipsum non gignitur.



Orbiculari ſerra, circũquaq; ſupra funiculi notam, ita craniũ pertundimus, ne aliqua pellicularum interius, neq; Dura neq; Pia uocata mater diuellatur, ſenſimq; ſuperius hemicranium à reliquo capitis trunco dimouemus.

Partem illam ſuperiorem craniĩ, orbiculari ſerra diſſectã atq; diuulſam, hic ad figuræ infimam partem apponi uides.

A, Intra cranium duriorem pelliculam, quam Duram uocant matrem, deſignat.

Cerebrum, tenui adhuc membranula, quam Piam uocant matrem, uariis & diuerſis uenarum & arteriarum ramulis diſtincte circumtectum eſſe uides. Præterea in Cerebri ſubſtãtia, dextram partem ſiniſtræ, forma & figura adeoq; ſimilitudinis quadam lege, mutuo ſibi reſpondere uides.

C. Siniſtram. D. dextram Cerebri partem ſignificat. E. mediũ Cerebri tramitem, qui partes diſiungit, deſignat.

Ramulos uenarum & arteriarum paſſim circa ſubſtantiã Cerebri diſſeminatos eſſe uides. Subſtantia præterea Cerebri qualis ſit, diſrupta pellicula, uidetur. Eſt in homine maior, q̃ in nullo alio animali ſimilis ſtaturæ. Propterea quod hominis cor ſit calidius, maiori ex Cerebri temperamento refrigeratione, opus habens.



In hac figura est uidere utranq; interiorem, quæ cerebrum uelat, pelliculam, cum ipsa substantia cerebri.

A, Itaq; Duram uocatam Matrem significat.

B, Piam Matrem, cum uenarum ramusculis designat, utraque pellicula, à cerebro hic diuulsa pendet, quo cerebri aptior sit conspectus.

C, Sinistra cerebri substantia.

D. Dextra pars cerebri est.

E. Confinium atq; discriminatio est cerebri.

Diuiditur cerebrum, in anterius & posterius. Anterius in dextrum & sinistrum à Dura menyngæ secatur, ut tres cerebri partes numerentur. Posterius (παρεγκεφαλίδα Græci nominant, Latini à paruitate, cerebellum) occipitium duntaxat occupat, propriis inuolutum membranis, Dura Mater anterius à posteriore segregat, estq; non eadem atq; similis substantiæ utriusq; qualitas, quod hoc sit mollius, illud uero durius esse comperiatur.



In hac Figura, uides ſubſtantiæ Cerebri dextram partem adhuc illæſam, Siniſtram uero, ad intermedios uſque uentriculos, nouaculæ miniſterio fermè abſciſſam.

Serraturæ, intra pãniculos locus, unà cum reliqua capitis parte, circunquaq; apparet,

C. Dextra Cerebri ſubſtantiæ adhuc illæſæ pars eſt, nubeculaꝝ forma effigiata.

D. Pellicula, hãc Cerebri dextram partem inuoluens, piæ Matris eſt membrana.

A. A. membranula eſt amotæ partis Cerebri, inuolucrum, q̃ ſupra Piam uocari Matrem diximus.

E. ubi uentriculorum inſinuatio eſt, indicat.
Supra naſum, in ipſo Cranio eſt notabilis & certa quædam uacuitas, aere ut plurimum repleta. Conferre hunc aërem ad ſenſum odoris putant.

In adminiſtratione, eius partis, auferenda erit Cerebri magna portio, ut hic in ſiniſtra Cranĩ parte factitatũ eſſe uides Scalpello id rectius effeceris, particulatim demendum eſt, quouſq; ad regionem calli quodammodo naturam referentem peruenias: poſt quam, uentriculi in utraq; parte ſinguli occurrunt, per totum Cerebrum diſperſi.

HVMANI CAPITIS FIGVRA QVINTA.



Vides hic in præsenti figura, ubi ad quantitatem trium fermè digitorum, cerebrum penetraueris, in utroq; latere, apparere uentriculum Lunæ nuper natæ, modo incuruatum.

Ventriculorum utrinq; notæ sunt E C, E C.

D, F, L. Vtrinq; circa basim, est substantia una pellicularis, rubea, uermis dicta, ex uenis & arterijs composita, quæ ab uno extremo ad aliud cuiuslibet uentriculi tendit, quæ motum habet secundum aliquos, aperiens & claudens uentriculos uoluntarie

Infra tales uermes ad ipsorũ latera, est certa pars cerebri eminens, quam multi assimilãt natibus humanis in figura, quæ in elongatione, pariter & clausione uentrium, se contangit: in abbreuiatione uero & dilatatione ipsorum, abinuicem separatur, Hæc Carpus in Isagog.

A. A, Piæ Matris pellicula est.

Auriculam, Nasum, Labia atq; Mẽtum extra pelliculam prominere uides.

Duo anteriores Cerebri sinus in unum coeunt, coitionis partem, meatum communem, siue uentriculum tertium nominant, propterea uelatũ tunica. Spiritus, in prioribus uentriculis elaboratus, ad tertium hũc uẽtriculũ, transferetur, memoriæ efficiẽdæ gratia. Est præterea, prior cerebri pars cogitationi, media, ratiocinationi, posterior, memoriæ dicata.



Dura Mater cum socia sua meninge, ut dextram Cerebri à sinistra disterminat, ita & per latum protracta, posterius cerebrum à priori diuidit. Verum hæc secunda duplicatio, nõ ita uenulis, ut prior inuicem iuncta uidetur. Continet tamẽ intra se certam quandam uacuitatem, in qua multi ex iugularibus uenis prodeuntes rami, terminantur.

Versus occiput, in ista duplicatione est certa uacuitas, uocata la cuna, in quam sanguinis pars exprimitur, uocatur hic locus Auicennæ torcular.

Circa D. literam, uides notari carunculas mammillares, odoratus ut quidam uocant, instrumenta, prodeuntes neruos, uides 1.1.2.2. Obticos uocatos, uisuíq; addictos neruos. 3.3.4.4.5.5. Quibuscunq; sensuum neruis suos numeros appositos esse uides.

A.A. Vt hactenus semper pelliculam Cerebri significat.

B.B. Inferius utrinq; cerebrum, diruptis atq; conuulsis cauitatibus, quas hic uẽtriculos Cerebri esse noueris, mõstrabit.

E. Postremam Cerebri partem longe duriorem, quæq; mox in spinalem medullam degeneret, designat.

Cerebellum, Cerebro à tergo adiacet, aliquatenus eo occultatũ duplici quoq; membrana uestitur, dura scilicet atq; molli membrana. Sinum unum habet, in quem spiritus ex anterioribus peruenit, finis eius prope spinalis medullæ initiũ situs est, ob quod durus existit.

Circa D. literam, nerui sunt ad oculos uidendi facultatẽ transferentes Græci ὀπτικοσ uocant, ex anterioribus uentriculis procedunt, cauí ob id facti, ut spiritum uisiuum recipiant. Hῆ inuicem in unum coëunt, & rursus anteq̃ oculos, ingrediantur, dirimũtur, hinc altero clauso oculo, totus spiritus per communem neruum, ad alterum fertur.



f

In posteriori parte medij uentriculi est foramen paruũ quod tendit ad certam quandam uacuitatem, quæ descendẽdo est uersus locum ubi est principiũ nuchæ, & hæc uacuitas non est in posterioris cerebri substantia, ut putant multi, nec est circundata undiq; à substantia medullari cerebri, sed est inter posterius & anterius cerebrum sita, circũdata notabiliter, uersus posterius cerebrum, à Pia matre ipsum tegente.

C. Cauitas posterioris cerebri.

DD. Inferior substantia utriusq; lateris cerebri.

B. Prioris partis cerebri, infima est substantia.

AA. Pia mater est.

In ima parte cerebri sunt duo canales, ex medio cerebri uentriculo, ad palatũ retrimenta deriuantes: quorum alter decliuis ac deorsum procedit, alter ubi meatus ille communis cum cerebello cõmittitur incipit, retrorsum pergens. Post canales hos, est certa quædam concauitas Græcis τρύελος aut χοάνη, Latinis labrum aut infundibulum, dicitur, quod superne sit ampla, inferius in angustum desinat. Subditur ei glandula quædam quæ & ipsa manifestam habet concauitatem, quam os quoddam coli modo peruium, excipit.

Ad basim cerebri, hoc est, ad os subditum, palato contiguum, plexum reticularem, ex arterijs in caput ueniẽtibus factum reperies.



In hac figura, quæ in oris cauitate habentur, atq; conſiderantur cerni queunt.

A. Itaq; ſuperior oris aperti eſt pars, in qua Colatorium tam narium q̃ palati, collocatur.

B,B. Vtrinq; poſitas glandulas aliis uocatas Amygdalas deſignat.

In medio Amygdalarum ex ſuperna oris parte caruncula, aliis uuam, aliis columellam uocatam, dependere uides.

Linguæ ſubſtantiã, figura ſua exprimit. In radice linguæ epiglottida delineare non licuit per opticen. Quod tamen in figura linguæ, extra reliquum corpus poſita, utcunque exprimere, conati ſumus, ubi D. Laringen, hoc eſt, tracheæ arteriæ extremam partem. C. Epiglottidis particulam, deſignat.



Hæc figura, cranij inferiorem partem, ubi collo implantatur, indicat: & inuersum plane Cranium representat.

A, Dentium ordinē exprimit, numerus dentiū in hominibus uariat, ad summum autem. 32. reperiuntur. Eorum. 4. infra & totidem supra, prope A literam expressi Græcis τομῆσ, hoc est, incidentes dicuntur, singuli singulis radicibus innituntur. Eos, canini dentes in singulo latere, unus positus, sequuntur. Qui postremi in singulis lateribus incisuris per medium designati cernuntur, maxillares uocantur.

CC.

DD.

EE. Calamoidi ossa sunt.

FF. Cranij duæ sunt partes, ubi colli prima & superior uertebra odontoidea, Gal. uocat, uniuersum caput excipit.

G. Foramen est per quod nucha in spinam dorsi ex cerebro deriuat.

HH. Ossa sunt circa petrosa.

I. Occipitis cranij pars est.

CAPITIS HVMANI, FIGVRA DECIMA.



Ossium atq; futurarum cranij ueri situs atq; forma, in hisce sequentibus figuris exprimuntur.

Ossa cranij, id est, Caluariæ septem sunt.

A.B. Significant os frontis & Coronale, futuram in hoc osse per medium ad nares usq; duci uides, eam sexus esse discriminis notam, quidam falso contendunt, decepti quod mulierũ craniis frequentius, non ita etiam uirorum, inesse hoc discrimen, notauerunt.

C. Ossa duo bregmatis, id est, sincipitis & parietalia.

D. Ossa duo lithoidea, id est, lapidosa & petrosa.

Os palati & basilare, minime hic ostendi potest.

F. Zygoma uel os Zygoides, id est, iugale & partis.

E. Nasi ossa.

G. Superiorem inplantationem dentium, ut H. inferiorẽ mãdibulam, significat.

I.L. Colli atq; ceruicis uertebras exprimit.

K. Verticis supremum atq; futurarum coitionem designat.

Reliqua παρέργως loco apposita sunt.



Hæc figura, priori, per omnnia similis est, nisi quod ut prior, dextrũ, ita hæc siniſtrũ capitis latus, conſpiciendum offert.

A. Itaq; rurſus frontis os indicat atq; Stephaniæam, id eſt, coronalem, quod coronari olim ſolebat.

B. Os Bregmatis eſt, utriuſq; oſſis Bregmatis, cum frontis oſſe mutuus fit cõcurſus atq; coitus, quæ pars cranij diutius dehiſcens, in infantibus longo poſt tempore coaleſcit, perpetuo tamen poſtea, etiam in adultis, teneritudine quadam, coitionis locum refert. Hinc capitis internis partibus profutura remedia, Medici ad hũc locũ applicanda eſſe monẽt.

C. Reſpondens os eſt, oſſi B bregmatis.

D. Lapidoſum ſeu petroſum.

E. Labdoidi os eſt.

F. Iugale ſiue paris

G. Superiorem dentium implantationem.

H. Inferiorem mandibulam.

I. Sex colli uertebras exprimit.

K. Verticis eſt locus.

L. Terminus eſt, ubi dorſi ſpondiles incipiunt.





Ossiũ capitis atq; suturarũ figuræ sequuntur,

Obelæam, id est, rectam & sagittalem suturã, per medium uerticis ducta linea significat.

Crotaphiæ, id est temporales, uel lepidoides, id est, squamosæ & mẽdosæ, in utroq; latere, circa aures, notantur,



Stephaniæa, id est, Coronalis sutura hic cernitur, dicta sic quod Corona ad hanc partem capitis imponi solita sit olim.



Labdoides similis .λ. literæ Græcæ, uertebrarũ colli ossa sunt,



In hac figura omnes suturæ occipitis, delineantur.

A. In ſuprema parte cranij uerticem capitis deſignat.

AB.AB. In utroq; latere dependentem cuticulam primam capitis, cui capilli innituntur.

C. Internam partem primæ cuticulæ exprimit.

D. Pericranium, hoc eſt, mox contingens, exterius os cranij cuticula eſt.

E. Cranij oſſa deſignat.

F. Dura menynx intra cranium.

G. Pia mater eſt, mollior atq; tenuis cuticula proxime cerebrum obuelans.

H. Cerebri ſubſtantiam ſignat.

I. Ventriculus cerebri. 1. 2. 3.

Supra L. rete mirabile effigiatum eſſe uides.

L. Lacunam.

M. Neruorum paria.

N. Caruncułæ mammillares.

OO. Viſus organum.

P. Audiendi organum.

Q. In naribus olfactus ſenſum.

R. In lingua guſtandi facultatem.

S. Coronalem ſuturam.

T. Sagittalem.

V. In occipite Labdoidem ſuturam deſignat.

Tactus in uniuerſo corpore per neruos atq; muſculos diffuſus ſentitur.

Vniuerſalis figura omnium partium capitis humani cum ſua explicatione.



PRAEFATIVNCVLA IN ANATOMIAM PORCI.

COphonis, celeberrimi suo seculo Medici Anatomē, quam de resectione Porci reliquit, ad finem figurarum nostrarum, apponere libuit humanissime lector, quo & huic ingenuæ arti Anatomiæ esse sua præexercitamenta, uel hinc colligere queas. Non enim prima fronte, illotis (quod aiunt) manibus ad humani corporis resectionem, tyrones medicinæ admittendos puto, quin prius rudimēta quædam ex uitulorum, hœdorum, porcellorum, & simiarum, si, ut Galenus subinde fecit, nobis daretur eorum animalium copia, addidicerint, quod bonam partem membrorum ea animantia, simili positura habeant, cum hominum corporibus. Quod si cui, tāta sit uel libido uel artis exercendæ dexteritas, ut & aliorū animantiū quæ nihil uel parū cū hominū corporibus habent affinitatis, ut sunt Ranarū, erinaciorum, piscium, glirium, auium, gallinarum, atq; eius generis reliquorum, dissectiones moliatur. Hunc nostro exemplo minime à scopo aberrare puto, mirū etiā in modum eius artis hunc augere thesaurum, contendo. Vnde enim earum rerū Aristoteli, Plinio, Galeno tāta fuisset eruditio, si non prius manum admoliti fuissent Anatomiæ, tibi lector coniicicendum relinquo.

ANATOMIA PORCI EX COPHONIS LIBRO.



QVoniam interiorum membrorū corporis humani compositiones, omnino erāt ignotæ, placuit ueteribus Medicis, & maxime Galeno, ut per Anatomiam brutorū animalium interiorum membrorū partes manifestarentur. Et cū bruta animalia quædam, ut Simia, in exterioribus nobis inueniātur similia, interiorum partium nulla inueniuntur adeo similia ut porci, & ideo in eis, Anatomiam fieri destinauimus.

Est autē Anatomia recta diuisio, quæ sic fit: Porcum debes inuersum ponere, quem per medium gutturis incides, & tūc primum tibi lingua occurret, quæ dextrorsum & sinistrorsum quibusdam neruis alligata est, qui motiui dicūtur. Quod cum ipsi à cerebro ueniant ad pulmonem, uertūtur ad linguā per quos lingua mouetur ad uoces. Ibi iuxta sunt carnes glandulosæ quæ dicuntur pharinges, & earum inflatio similiter dicitur, sunt etiam ibi maximæ glādulæ in quibus colligitur humor, & facit branchos.

In radicibus linguæ oriūtur duo meatus, scilicet trachea arteria, per quam transit ad pulmonē aër, & œsophagus, per quē mittitur cibus ad stomachū, & est trachea arteria super œso-

phagū ſuper quā eſt quædam cartilago, quæ dicitur epiglottis quæ clauditur aliquando ut cibus & potus per eam nō deſcendat & aperiatur ut aër intret & exeat.

Inter tracheam arteriā, & œſophagum, eſt locus qui dicitur iſthmon, inter duo præcipitia, in quo aliquando humor colligitur, & facit apoſtema, quod dicitur ſquinantia, id eſt, angina, aliquando totus extra, & dicitur ſynantia.

Tunc debes ſeparare tracheam arteriam ab œſophago & inuenies pulmonem & cor. Cor uero eſt magis in ſiniſtra parte, quorum quidlibet in ſua capſula continetur. In capſula cordis colligitur mater, quæ facit peripneumoniam.

Et tunc uidebis quandam uenam quæ concaua dicitur, quæ ab epate uenit per medium diaphragmatis, & ſubintrat auriculam cordis, & fit arteria, de qua fiunt omnes aliæ arteriæ quæ procedunt ad membra in quibus colligit humor qui facit ſanſugium, aliquando colligit extra eos, & facit anhelitum, aliquando intus & extra, & facit orthomiam. Et quod pulmo ſit cauernoſus poteſtis probare, ſi cū calamo intromiſſo inflatur. Sub illis membris eſt panniculus, qui dicitur diaphragma q diuidit ea à nutritiuis, qui coniungitur tenuioribus coſtarum in quibus colligitur humor, qui facit pleureſin.

Tunc debes reuerti ad nutritiua & computa longitudinē œſophagi ad uſq; ſeptimum ſpondile, & incipit os ſtomachi ſupra diaphragma, ſtomachus uero inferi⁹. Sub ſtomacho eſt inteſtinum, quod dicitur portanariū, ſub portanario eſt duodenū, ſub duodeno eſt ieiunū, ſub ieiuno eſt orbum, ſub orbo ſaccus, ſub ſacco longaō & ſunt ibi quædam gracilia inteſtina, quæ lateralia uocantur in quibus eſt iliaca paſſio.

Ex dextra parte ſub fundo ſtomachi eſt epar poſitū, in cuius ſubſtantia eſt quaſi quædam ueſica quæ cyſtus fellis appellatur & ſuper epar ſunt duo pāniculi zirbus & ſiphach, qui ſunt implicati uelut rete. Quod apparet ibi pingue & groſſum dicitur zirbus: quod autē ſubtile eſt ſiphach, quæ procedunt uſq; ad ſplenem, per quos uenæ tranſeunt, per quos melancholia ab epate ad ſplenen mittetur.

Eſt autē ſplen membrum oblongum in ſiniſtro latere poſitum, loca quæ ſunt ſub ſplene & epate dicuntur hypochondria Tunc debes omnia interiora extrahere, & tūc occurrit tibi in medio ſpinæ arteria magna, ſub qua & uena magna cōtinetur quæ arteria fit de oībus arterijs capitis, quæ cōdenſant in unā magnā arteriā, quæ deſcēdit à lūbis, & à ſe uarias arterias trāſmittit tā dextrorſū q̄ ſiniſtrorſum ad inferiora. Vena ibi magna fit de arterijs capitis cōdenſans quæ uenit uſq; ad renes, & bifurcatur, & ibi fit uena chilis, in qua infiguntur capillares uenæ quæ præ nimia paruitate ſui uideri non poſſunt, per quas urina cum quatuor humoribus, mittitur ad renes.

Tunc inuenies ibi duos meatus qui uritides dicuntur, & per eos reſudat urina in ueſicā. Nam ipſi infigūtur ueſicæ, qui etiā tranſeunt per quēdam panniculum, quo omnia inteſtina præter longaonem claudūtur, qui uocatur epigorontyſmeon coli quo rupto inteſtinū cadit in oſchium, ſupra quem omentū eſt.

Finis Anatomiæ Porci, ex traditione Cophonis.

Membra ſimilaria.

Octo conſimiles ſunt partes, neruus, adeps, os
Arteriæ, uenæ, caro, cartilago, cutiſq;.

Diſſimilaria uel officialia.

Officijs animæ numero ſunt membra uiginti
Cor, iecur, & cerebrum, teſtes, ueſica, lienq;.
Et ſtomachus, pulmo, renes cum pectore, dorſum,
Os, oculi, nares, aures, collum, caput, & pes.

ANATOMIA
INFANTIS EX COMMENtarijs clarissimi Anatomici Gabrielis de Zerbis desumpta.



I fœtus mas fuerit, & per aborsum in dies quadraginta excidat: aperta matrice, cum humore super terrã exiens à uulua dissoluetur sua teneritudine, & non inuenietur propter sui paruitatem: si aũt aborsus fuerit super aquam frigidam, leuẽ & claram, inuenietur per colamentũ creatura, & habebit formam magnæ formicæ. Et hæc substantia inuenietur in tela quadam, siue in panniculo, cuius caput & omnia membra formata sunt & distincta. Et aliquando quando recenter scinditur, inuenitur habens motum dilatationis & constrictionis quando acu pungitur, propter quod uere scitur creaturã illam esse animatam & inuenitur quod ueretrum eius & oculi eius magna sunt respectu suæ quantitatis, eo ꝙ adhuc nõ sunt cõpleta & adunata, sed in materia fluida resultat forma & figura membrorũ, & simile euenit in alijs animalibus in oculis & membro generationis, ante ultimum eorum complementum, semper enim mẽbra hæc aliorum respectu magnam habent quantitatem.

Si uero quod conceptum est fœmina fuerit, & à uulua per aborsum ceciderit ante mẽses tres, qui sunt dies nonaginta, aborsus, inuenietur nõ figuratus, si uero quartum intrauerit mẽsem, uel tertium compleuerit, inuenietur tũc fœmina formata, quando autem completa est, uelociter completur ad ultimam formationem in qua nascitur, quoniã humidum postq̃ cõstare incœperit citius figuratur & cõpletur q̃ siccũ spissum

Dum est infantulus in utero, manus tenet apud mẽtum, dicebat Hyppoc. & caput apud pedes: neq; est uerum iudicare, nec uidebis in matricibus, si puer habeat caput inferius, siue superius, fœtus enim ante motum suum ad exitũ, scilicet in partu naturali (dicebat Auic.) est sustentatus, id est, moratur, uel stat & situatur super pedes suos: & ipsius facies sustentata est, & inclinata super eius genua, & supponuntur plantæ manuũ genibus suis, & nasus suus intra ambo genua positus est, & oculi super ea ambo genua, & colligit, scilicet, ambo genua ad anteriorem partem sui, & est positum collum una cum dorso eius uersus matris anteriora, & ipsius facies ad dorsum matricis eius iacet inclinata, defendẽdo, scilicet per duritiem spõdilium matris, cor, scilicet, fœtus à nocentibus extrinsecis.

Causa autẽ situs huius est. Tum quia hic situs conueniẽtior est ad conuersionem faciendam, scilicet in partu super caput suum, quoniã egressio eius sic est egressio melior. Tum etiã quia minorem occupat locum, licet sint qui dicant hunc situ solum esse masculi, dicebat Auicen. scilicet præparatio, id est, maris infantis, fœminæ est, secundum contrarium huius præparationis, quod tamen dictum caret ratione, est autem eius situs in utero diuersus à situ plurimorum aliorum fœtuum in speciebus brutorum. Nam omne animal quadrupes ponitur in matrice extẽsum propter matricis longitudinem: Animal autem carens pedibus iacet in matrice super latus suum, sicut in delphino est uidere & cete & alijs piscibus, in utero alia sibi similia generantibus. Animal autẽ bipes stat ex matrice incuruatum, sicut aues stant in ouo, & homo in matrice, hoc est, incuruata stãt in matrice, ita quod nasus hominis est intra genua sua, & oculi eius super genua sua, & aures extra genua sua, cũ est homo in utero, & hic quidẽ situs est ad defensaculum cor-

dis,dicebat Auice.9.de animalibus,& ille modus est magis cõ ueniens ad euitandum se,scilicet,à nocẽtibus,quæ sibi de foris occurrere possent.

Colligatur fœtus matrici,mediante secundina,epati eiusdẽ mediantibus uenis,cordi uero mediantibus arteriis quæ sunt in secundina,quorum omniũ coopertorium est umbilicus dum uniuntur apud fœtum matris, aliqualem colligantiam quoq; habet cum patre,& membris eius per uirtutem formatiuam decisam à generatiua patris,quæ est in semine & spiritu gignitiuo.

QVALE SIT OFFICIVM ANAtomici,ex Carpi commentariis,supra Mundini expositionem.

VIdendum est,quid requiratur ad hoc,q; aliquis sit bonus Anatomes siue Anatomicus. Dico q; prio, & ante omnia oportet q; sit instructus in scientia medicinæ,& cum sibi annexo,& delectetur legere ac pluries legere quæ Aristo.& Gale.& Auic.& alii de animalibus dixerin,ttam de uiuis q̃ de mortuis:& quid dixerint iuniores:& sit bonæ extimatiuæ,ut distinguat inter dicta doctorum,& incumbat pro uiribus dissectioni animalium diuersarum specierum,& diuersorum sexuum,ac diuersarum ætatũ, prægnantiũ & non prægnantium,uiuorum & mortuorum.

Et ad scientiam istam acquirẽdam incũbat anatomiæ fœtuũ diuersarum specierum animalium: quia multæ partes membrorum simplicium lucidissimæ uidentur per Anatomiã fœtuũ quæ in perfectis non apparent,nisi diminute. Et per istorum fœtuum Anatomiam,fateor me multa cognouisse: quæ mihi prius perobscura erant.

Et non credat aliquis per solam uiuã uocem,aut per scripturam posse habere hanc disciplinam: quia hic requiritur uisus, & tactus,ut xii.de utilitate inquit Galenus.

Nec per unam Anatomiam potest haberi distincta cognitio membrorum. Nam cum adhibetur studium in subtili ostensione unius particulæ,propter propinquitatem ipsorum compositio alterius quasi penitus destruitur. Requiruntur igitur multæ numero,& præ cæteris credere Galeno,qui errores aliorum correxit,maxime Cleamenis Praxagoræ,& Philotimi & aliorũ ueterũ, ut in libro de Anatomia matricis ipse Gale. testatur: & cõmunis tenet opinio errorẽ aliquem adhuc non inueniri in sua Anatomia. Eiusq; opiniones firme & inuiolate

adhuc permanent: quamuis Auicē. in libris de animalibus, de ortu neruorum teneat cum Aristo. contra Gale. de quo latius in Anatomia neruorum cerebri (deo annuente) dicemus.
Et Gale. fere in omnibus suis libris aliquid dixit de Anatomia, magis tamē in. xvij. libris de Vtilitate particularū, & de luuamētis membrorum, & in libello de Anatomia uiuorum, & in libro de Dissonātia Anatomicorum, & de Virtutibus naturalibus, & de Motibus liquidis in quibus maxime comprehenditur ingenium, & doctrina. Gale. de Anatomia.

Et quamuis Aristo. simul & Auic. dissentiāt à Galeno discrepant tamen tanq̄ philosophi. Galenus autem, tanq̄ artifex sensibilis, non transcendit sensum. Sed reuera Aristo. in uniuersali quodammodo tractat de Anatomia. Galen. autem in particulari, & satis complete, q̄uis ipsemet Gale. asserat aliquē posteum inueniri posse, qui inueniat aliqua, quæ per ipsum inuenta non sint.

Credere tamen debet Anatomes. Gale. maxime cōcordante sensu, aliter non, nec aliis auctoritatibus est credendum, ubi experientia & sensus sunt in contrarium. Multi tamen sunt, qui decipiuntur sensu, scilicet, unum pro alio capientes ex sua debili cogitatiua.

Non credat ergo aliquis sibi soli, sed cōmuniçet doctorum auctoritates, & sui ipsius opinionē cum peritis in Anatomia si potest: & simul sit sensus, & experientia super eo, de quo fit sermo, ut quæ forte non distinguit unus, distinguant forte alij. Et istis seruatis, aliquis poterit appellari bonus Anatomes,

FINIS.

AD LECTOREM DRYANDER.

DEstinatum erat, candidissime lector, reliquas ordine subiungere Anatomiæ ad uiuum expressas εἰκόνας, maximeq̄ spiritalium membrorum, quæ intra thoracis atq̄ diaphragmatis cauum continentur, formam atque positionem explicare erat animus, quo duorum insignium uentrium, huius in Cranij, illius in thoracis cauo, quibus tandem tertiū, qui Anatomicis est primus, nutrimentalium partium scilicet uentrem, commodum absoluere & adijcere potuissem. Idq̄ partim per sculptores, partim per occupatiōes, quibus indies in re medica, à cœpto opere distrahimur, minime perficere cum licuit, postea tandem, in studiosorum nimirum gratiam dabitur, modo nudas quasdam figuras, cœpti operis quasi gustum præbentes, conspiciendas tibi appendicis loco apposuimus, quibus ut & reliquis nostris pro tuo commodo instructis, ut interim, quousq̄ reliqua maturemus optime fruaris amice lector cupio. Vale.

FIGVRA VNIVERSI THORACIS DETRACTA PRIORI CVTICVLA SEQVITVR.



FIGVRA PVLMONVM

TRACHEAE ARTERIAE, VENARVM ATQVE ARTERIARVM, PASSIM IN Pulmonis ſubſtantia diſperſa membra, unà cum diaphragmatis parte ſequitur.



Cordis, eiuſdemq; duorum uen
rorumpentibus particulis, bi=
tq; potui, illũ aeri ppetuo desti=

trium cum uẽnis & arterijs inde
nosq; insignes tramites hunc cibo
natũ &c. figura præsens exhibet.





Amotis omnibus siue carnosis siue pellicularibus partibus quæ deinceps thoracis ossium nuda relinquitur effigies, hac figura expressa esse uides.

AD ANATO

MIAE CONTEMPTOREM ET IN ABSTRV

sioribus plus æquo curiosum disciplinis: Epigramma

REINHARDI LORICHII

HADAMARII.

Ingenij fragilem nostri superantia captum,
Ad nos spectabunt (Socrate teste) nihil.
Attamen æthereæ lustras mysteria sphæræ,
Atq; supra cælos excutis omne iubar.
Naturæ causas rimare latentis opertæ,
Et cassum certo lumine pergis iter.
Ante pedes tibi quæ restent non cernis, & ipsa
Quæ miser in proprio corpore membra geras.
Hæc discas prius, ac te perspexisse labores,
Quàm super extremos diripiare polos.
In cute quæ teneas nescire, sed extera uelle
Noscere, res dictu turpis opinor erit.
Te maris, & terræ, numeroq; carentis arenæ
Mensorem, facilis turba uocare potest.
Sed fueris grauior Physicus: compaginis omnis,
Si tibi corporeæ plasmata nota forent.
Addocet hæc primo culti pictura Dryandri,
Vt thorace tuo quæ sita membra scias.
Mox alias capies spacio breuiore figuras,
Corporis ut noscas omnia membra tui.

Ἀλλ' οὐκ ἔστι συκοφάντου δήγματος



Nullum aduersus sycophantæ morsum remedium.

a. 284.